



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 4. Sexdecim Cardinales Fundis eligunt Clementem VII. Summum
Pontificem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

§. IV.

*Sexdecim Cardinales Fundis eligunt
Clementem VII. Summum Pon-
tificem.*

Tribus istis Italis, quorum quilibet Papatum sibi certum sperabat, linguam & aquam hærere vidisses, dum paucis ex post diebus in primo scrutinio Robertum Cardinalem Presbyterum tit. SS. duodecim Apostolorum renuntiatum audierunt. Hic vulgo Cardinalis Gebenensis seu Genevensis, eoquod Amadæi Gebenensis Comitis frater, aut nepos esset, appellatus, nomen Clementis VII. adoptavit, annum agens ætatis trigessimum sextum, cumque natione nec Gallus, nec Italus esset, neutri parti suspectus credebatur, qui primo Moriensis, seu Feruanus, inde Cameraensis Episcopus factus, a Gregorio XI. purpura decoratus est. Vir erat ingenio, eloquentia, & dexteritate clarus, rebus gerendis, ac laboribus sustinendis aptissimus. Non solum hisce animi dotibus sibi electorum

etorum

*Theo. Niem.
de schism.
lib. I. c. 20.*

ctorum suffragia promeruit, sed potissimum generis sui nobilitate, potentioribus Europæ Principibus, aut fœdere, aut sanguine junctus. Qua prærogativa munitus, in tuenda sua dignitate adversus æmulum suum ceteris prævalebat. Cardinales Itali rei novitate permoti, illico ad castrum, unde venerant, reversi sunt: spectabat castrum hoc ad Cardinalem Urfinum, qui brevi ibidem obiit, sed in cujus Pontificis obedientia, incertum est.

Ergo Urbanus jam quinto post inaugurationem suam mense alium Papam sibi opponi, omnesque Cardinales ejus, quin imo suorum etiam aulicorum nonnullos a se defecisse non sine gravi animi dolore conspexit. Quapropter incerore confectus exeunte anno Romam ad Ecclesiam S. Mariæ trans Tiberim revertitur, adhuc enim castrum S. Angeli Gallorum potestati subditum erat. Tunc primum fatales imprudentiæ suæ deplorabat eventus, quos ut repararet magis humanus, ac benignior

unacum aliis Comitatibus relinqueret. Regina, ut Pontificis molimina everteret, ditionum suarum jura ad Ludovicum Andegavensem devolvit, eum adhortata, ut prompto auxilio eidem succurreret. Interea vero Carolus Dyrrachus Neapolim occupat, Ottonem Joannæ Maritum proditorie aggreditur, capitque, tandem etiam subactò Castro-novo Reginam, quæ illuc cum Maria sorore sua confugerat, captivam abducit, & paulo post laqueo suffocari jubet.

§. VIII.

*Bellum Ludovici Andegavensis contra
Carolum de Dyrrachio.*

Igitur Clemens VII. Andegavensem Ducem importunis precibus stimulat, ut in Italiam exercitu suo penetraret. Dux ille Gallici Regni habenas moderabatur, sub Carolo adhuc impubere, qui Caroli V., cognomento *sapientis*, die 16. Septembris anno 1380. fatis functi successor erat. Ergo ille An. 1382. cum valido milite

*Laborat.
hist. Carol.
VI. l. 2. c. 8.*